ſertim vbi forma tradita à lege eſt demonſtratiua.
19 *Sufficit, quod ex æquipollentibus quid fiat, quando ſumus in conditione neceſſaria ex parte actus vel ex parte effectus: ſecus in conditione voluntaria.*
20 *Requiſita ad probationem tantùm non vitiant diſpoſitionem ſi omittantur, ſi aliter de re illa conſtare poſſit.*
21 *Quancumcunque lex loquatur per verba taxatiua, nunquam ex cludit æquipollentem modum probandi, nec caſus deciſos per alias ll. in corpore iuris clauſas.*
22 *Natura termini reſtrictus hoc habet, vt ſic excludat ab ipſo extranea, vt cuncta ad ipſum pertinentia includat.*
23 *Taxatiua non excludit caſum ſimilem, quando is inducitur per aliam legem, vel quando venit ex conſuetudine.*
24 *Lex taxatiua in materia probatoria, nunquam videtur excludere probationem æquipollentem.*
25. *Notorietas nunquam videtur excluſa per l. præciſam & ſtrictam, generaliter & vniuerſaliter loquentem.*
26 *Materia probationis non eſt reſtringenda, ſed amplianda.*
27 *Excludi non poteſt per l. vel ſtatutum ſufficiens modus probationis.*
28 *Forma ſubſtantialis dat eſſe rei.*
29 *Forma probandi nobilitatem à noſtra l. 8. tradita, non eſt ſubſtantialis ſed demonſtratiua.*
30 *L. 9. hoc tit. 11. lib. 2. Nou. Collect. Reg. admittit probationem* por ſolar conocido.
31 *Vbi eſt caſus l. expreſſus, non eſt amplius de eo dubitandum.*
32 *Probata trium perſonarum poſſeſſione non contribuendi, is nobilis, durante lite, non contribuet.*
33 *L. 8. & 9. eod tit. 11. intellectus, & n. ſeq.*
34 *Leges nouæ ſunt interpretandæ ne ius commune lædant in quantum fieri poteſt, etiamſi verba improprientur.*
35 *Lex generalis non inducit correctionem iuris per tacitos intellectus, etiamſi nihil operetur.*
36 *Leges poſitæ in Noua Collectione Reg. ſunt obſeruandæ.*
37 *Cum de antiquarum legum abrogatione intenditur, illud ſolet ſignificari verbis expreſſis, aut honorifica aliqua præfatione.*
38 *Vbi lex Regia non exprimit, non eſt de eius intentione ius commune corrigere.*
39 *Illa debet ſemper ſumi interpretatio, ne quid fruſtra factum intelligatur, & vt verba aliquid operentur etiamſi ſit verbum minimum, quia adhuc non debet eſſe ſine virtute aliquid operandi*
40 *Lex nou videtur quicquam fruſtra inducere.*
41 *Relatum dicitur eſſe in referente cum omnibus ſuis qualitatibus.*
42 *Contra exſecutionem non ſolum admittuntur exceptiones à lege Regia expreſſæ, ſed etiam alia quæcunque legitima exceptio à iure cognita probanda infra terminum eiuſdem l. ſimilis tamen eiſdem, habenſque eandem vel maiorem rationem.*
43 *Praxis accepit in tribunalibus ſuperioribus in quibus hac de re agitur, vt admittatur probatio nobilitatis* por ſolar conocido.
44 *Ex præfatione legis cauſa eius finalis colligitur.*
45 *L. noſtra 8. intellectus & mens vera aſſignatur, ne obſit prædict. praxi.*
46 *Deſtructo fundamento, corruunt quæ ſunt ſuper eo ædificata.*

QVÆSTIO XV.

In eandem leg. 8. tit. 11. lib. 2.

An hodie in Hiſpania admitti probarique poſſit *hidalguia por ſolar conocido.*

QVÆRO † 3. hanc eandem legem, *an hodie* 1
in Hiſpania admitti probarique poſſit, hidalguia
por ſolar conocido, de qua *in l. 9. ſtatim ſeq.* atten-
ta hac noſtra l. Regia, qua forma certa præfigitur
in his Regnis probandi nobilitatem: & tamen in
ea huius probationis *hidalguia por ſolar conocido*,
non fit mentio, ſed neceſſario & præciſe videtur
requiri à noſtra lege, vt nobilitas probetur hoc
modo: † nempe, *que el que ſe dixere hijodalgo,* 2
*prueue enteramente de ſi, ſiendo caſado, viuiendo ſo-
bre ſi y de ſu padre y abuelo en la manera que las leyes
y prematicas de nueſtros Reynos lo diſponen: y que eſte
tal ſea pronunciado y auido por hijodalgo en poſſeſſion
y en propriedad: y lo que diſpone la ley antes deſta en
eſte caſo es, que todos los hijoſdalgo que ſon hijoſdalgo
de padre y abuelo, que eſtuuieren en poſſeſſion de hidal-
guia de tanto tiempo aca, que memoria de hombres, no
es en contrario, y de veynte años aca nunca pecharon,
ni vſaron ni acoſtumbraron a pechar, ni pagaren mo-
nedas, ni en pecho que acoſtumbran a pagar los buenos
hombres pecheros, ni en alguno de ellos, por ſer ellos
y cada vno de ellos hijoſdalgo, ſaluo ſino fueſſe por fuer-
ça, o premia que los dichos concejos les ouieſſen fecho,
que no paguen ni pechen en ellos aora ni de aqui adelan-
te. Por manera, que lo que eſta nueſtra ley y prema-
tica de Cordoua añade a la de ſu ſo referida, es, Que
el que ſe dixere hijodalgo, prueue enteramente de ſi,
porque de padre y abuelo la ley precediente tambien lo
requeria: y con eſto dize la prematica de Cordoua,
que es nueſtra l. 8. que ſe prueua la hidalguia en proprie-
dad y poſſeſſion.* Similiter *para prouar la hidalguia en
poſſeſſion; ſolamente requiere nueſtra ley, que ſe prue-
ue la dicha poſſeſſion de hidalguia, prouando la exem-
cion e immunidad de ſi y de ſu padre, y de ſu abuelo, que
todas tres perſonas, el litigante ſiendo caſado, o viuien-
do ſobre ſi, y ſu padre y abuelo eſtuuieron pacificamen-
te en reputacion y poſſeſſion de hombres hijoſdalgo en
los lugares donde viuieron por veynte años continuos y
cumplidos, y que como a tales hijoſdalgo los dexauan
los concejos donde viuian de empadronar y prendar en
los pechos Reales y concegiles, y no por otra razon
alguna: y que ſe ayuntauan en ſus ayuntamientos con
los otros hijoſdalgo, en los lugares donde viuian. Y pa-
ra la hidalguia local requiere la dicha prematica de
Cordoua, que el litigante por lo menos prueue eſta poſ-
ſeſſion pacifica de veynte años de ſu perſona y de ſu pa-
dre: y que el que prouare eſto ſolamente ſea ampara-
do en ſu poſſeſſion de hidalguia, ſolamente para en el
lugar donde vueire, quedando reſeruado el derecho de
la propriedad.* In hac quæſtione attenta præcitata
deciſione noſtræ legis & præcedentis: in dubium
videtur, quod in Hiſpania nobilitas hæc, id eſt
la hidalguia probari non poſſit, *por ſolar ni por ca-
ſa.* Primo quia non eſt lex Regia, quæ auctorita-
tem præſtet huic modo probandi nobilitatem,
nempe *por ſolar conocido y caſa,* ex qua iudices per-
cipere valeant, quæ ſit probatio ſufficiens in hoc.
Secundo quia pragmatica Cordubenſ. quæ eſt lex
noſtra 8. expreſſe præcipere videtur contrarium
in verbis ſupradict. adiecta ſtatim poſtea clauſula
& decreto irritanti in hunc ſane modum: *Y de
otra guiſa ninguno de aqui adelante pueda ſer dado por
hijodalgo en poſſeſſion, ni en propriedad, ni le ſea dada*

*carta executoria, ni priuilegio, y ſi de fecho fuere dado y
pronunciado por hijodalgo, mandamos que la ſentencia ni
el priuilegio ni executoria que de ello ſe diere no ello ſe
diere no vala:* ergo tollit probationem *de ſolar y*
3 *caſa.* Decretum namque † irritans, & clauſula de-
rogatoria annullat actum contrarium & inde ſe-
quuta, vt *in l. non dubium, C. de legibus*, vbi Iaſon
num. 17. id notat: idem Iaſon *in l. 1. num.* 10 *ff. de
lib. & poſthum.* DD. per text. ibi *in cap. ſi eo tempo-
re, de elect. lib. 6. gloſſ. in c. ſtatutum, verb. commit-
tatur ibi.* Sed hodie per finem huius Decretalis
credo contrarium, vbi innenitur quod ipſo iure
eſt irritum & inane, quod contra aliquod iſtorum
fit: *& in c. diſpendia, verb. ampliantes,* per text. ibi,
de reſcrip. in 6. & ibi DD. gl. etiam per text. *ibi, in l.
à D. Pio, verb. actionem*, ibi, *Reſpondeo, matrimo-
nium etiam vtriuſque voluntate non poteſt valere, quia
probibetur per l. ff. de ritu nup.* & illa gloſ. eſt vbique
reputata ſingularis per ſcribentes, ſecundum Præ-
poſit. poſt Bald. *in pluribus locis, in cap. præterea,
el 2. de ſponſal.* & eſt approbata per omnes ſecund.
Iaſon *in l. iuſiurandum quod ex conuentione, num.* 30.
ff. de iureiur. ſequitur alios allegans Iaſon *in l. inter
cætera, num.* 12. *ff. de lib. & poſthum.* text. *in cap. di-
lecto,* 25. & ibi, *gloſſ. verb. clauſula,* & DD. *de prab.
l. 28. verſ. Otro ſi dezimos que todo pleyto, que es fe-
cho contra nueſtra ley, o contra buenas coſtumbres que
no deue ſer guardado maguer pena o juramento fueſſe
pueſto en el.* & ibi Greg. Lopez in gloſſa *contra nue-
ſtra ley,* plura adducit *tit. 12. part. 5.*
4 Tertio, † quia clauſula abrogatiua & decretum
irritans de ſui natura inducunt formam, contra
quam nihil poteſt agi, vt *in l. de his, cum ſimilibus,*
5 *ff. de tranſact.* Forma † enim ab ſtatuto tradita ſub-
ſtantialis videtur, Bald. *in l. comparationes, in tertia
oppoſitione, in fine, Cod. de fid. inſtrument.* Matien.
alios referens *in l. 1. tit. 4. lib. 5. Noua Collect. Reg.*
6 *gloſſ. 4. num.* 19. *&* 20. Ideo † eſt ad vnguem ob-
ſeruanda, nec poteſt per æquipollens adimpleri vt
plures allegans ſigillatim, probat Mexia *in l. Regia
Toleti de los terminos, in* 12. *fundamento* 2. *partis,
n.* 5. *&* 6. & ante eum Iaſon *in l. 1. n. 18. cum ſeqq.
ff. de liber. & poſthum.* & plurimos referens Bec-
7 cius *conſil. 12. n. 15. cum ſeqq.* vbi *num.* 18. quod †
forma ſtatuti non obſeruata, corruit actus & red-
ditur ipſo iure nullus, & *num.* 22. ampliat vt pro-
cedat, non ſolum ſi contra formam, ſed etiam
præter formam ſtatuti factum ſit, quia adhuc
actus eſt ipſo iure nullus, & *num.* 23. inquit eſſe
commun. concluſionem, quod vbi ſtatutum ali-
8 quid † exprimit circa actum conficiendum ali-
ter, quam à iure communi ſit diſpoſitum cenſe-
tur inducta forma. Et *num.* 24. addit cum pluri-
9 bus Doctoribus quos citat, quod vbicunque † lex
vel ſtatutum introducit aliquid cum certis modi-
ficationibus, quicquid ibi exprimitur, cenſetur
de forma. Adde eundem Beccium *conſil. 62. n.* 43.
10 *& conſil. 66. num. 9. &* 10. 11. *&* 12. vbi † *num.* 14.
quod forma à ſtatuto data cenſetur, quando eſt
adiecta clauſula irritans actum aliter factum: &
quod tunc forma præciſe obſeruanda eſt, neque
ſufficit per æquipollens impleri. Idem Beccius
11 *conſil. 72. num.* 31. vbi quod forma non † ſeruata
corruit actus: Idem, & quod forma ſtatuti præ-
ſumitur ſubſtantialis, Rol. *conſ. 72. num. 64. cum*
12 *ſeqq.* Petrus Surdus *conſ. 124. num.* 5. Et quod for-
ma inducatur, quando aliquid exprimitur, aliter
quam ſit de iure communi, idem Petrus Surdus
13 *conſil. 124. num.* 3. Et inquit † Menochius alios al-
legans, *conſil. 243. num. 17. lib.* 3. quod formæ in-
hærendum eſt, neque ab ea diſcedendum, nec la-
tum quidem vnguem. Et forma ad vnguem adim-
pleri debet nec ſufficit per æquipollens ſatisfieri,
vbi in ſtatuto adeſt clauſula decreti annullatiua,
vt alios referens teſtatur idem Menochius *conſ.*
288. *num. 2. vol.* 4. Cui addendus eſt omnia ſupra-
dicta, latiſſime cum aliis pluribus quos citat diſ-
ſerens Octauian. Chacher. *dec. Pedam. 165. per to-
tam, & deciſ. 164. quæ per errorem numeratur* 166.
Cum igitur noſtra l. Regia ſit huiuſmodi, & in-
ducat formam probandi nobilitatem in Hiſpania,
tam in poſſeſſione, quam in proprietate cum clau-
ſula & decreto irritanti, neceſſario videtur dicen-
dum, ea attenta, quod in Hiſpania probari non
poſſit *la hidalguia por ſolar conocido, ſino por poſſeſ-
ſion de tres perſonas, y de dos para la hidalguia local,
como en ella ſe contiene y declara: porque dando forma
y modo de prueua, parece que ſe deue guardar* omni-
no, iuxta tradita per Tiber. Decian. *conſ. 66. n. 6.
vol. 3. que habla en prouança de nobleza*: Et in ter-
minis ex ſupradictis in effectu hanc opinionem
expreſſe probat atque affirmat Ioan. Garç. *de no-
bilitate, gloſſ. 13. num. 7. 8. & 9.* dicens: *Que eſto
parece coſa ſin duda,* nempe *que en Eſpaña no ſe pue-
da prouar hidalguia por ſolar, ni por caſa: y que por
el fundamento arriba dicho, que es de gran fuerça y
verdadero, ſe puede afirmar a boca llena, que eſta ley
nueſtra ha quitado eſto de ſolar, pues ha pueſto nueua
forma de prouança anſi en poſſeſſion, como en proprie-
dad: y ha quitado otro qualquier genero de prouança
de hidalguia, mandando que no ſe admita, ni que por
ella ſe libre executoria, y que ſi ſe librare, que no va-
la. Y que † aunque en los tribunales de Eſpaña, Con-* 14
*ſejo, Valladolid y Granada, adonde ſe litigan ſolamen-
te eſtas cauſas de hidalguia, ſe tratte eſto de ſolar, es
ſin ley, y ſin derecho, y cada dia ſe admiten ſin genero
de eſcrupulo, auiendolo, y tan grande.* Et inquit idem
Ioan. Garç. *gloſſ. 1. §. 2. n. 25. que la propriedad de
ſolar es ſacra anchora*, ad quam quotidie confugi-
tur ex conſilio aduocatorum, & neſcit, an tam
animæ & ſaluti æternæ ſalutaris, quam honori
litigatoris & crumenæ aduocati vtilis.
His † nihilo ſecius non obſtantibus, provt ve- 15
re non obſtant, hæc noua opinio tenenda non eſt
in iudicando nec in conſulendo, ſed potius con-
traria, tanquam iure verior & in praxi recepta,
nempe quod noſtra lex Cordubenſ. per ſupradi-
cta verba & clauſulas minime tollat probationem
nobilitatis notoriæ *por ſolar conocido*: ſed imo hæc
ſit in noſtra Hiſpania præcipua, melior ac certior
probatio nobilitatis, quam alia, vtpote à l. Regia
9. ſtatim ſequenti cognita & admiſſa.
Quinimo † ſtante hac probatione *de ſolar cono-* 16
cido, alia non requiritur in proprietate, neque in
poſſeſſione, nec etiam aliquis actus poſitiuus, di-
ſtinctiuus (vbi ipſi exſiſtunt) non contribuendi
in tributis ac cenſibus plebeis, in quibus *los bue-
nos hombres pecheros pechan y contribueyen*, nec alias,
vt *diximus ſupra in quæſtione præcedenti.* Et ipſe Ioan.
Garçia non ſemel docuit, ac præcipue docet ea-
dem *gloſ. 18. num.* 43. Et hanc ſententiam contra
ipſum probo ex fundamentis ab eodem auctore
adductis *in gloſſ. 7. num. 34. incip. ad ſeptimum cum
pluribus ſeqq.* in propriis terminis noſtræ pragma-
ticæ Cordubenſ. quibus non ſolum hæc pars con-
tra ipſum probatur, veriorque efficitur, ſed etiam
prioribuſque fundamentis contrariis eiuſdem au-
ctoris ſatisfit ſufficienter: vt ſtatim videbimus:
& tamen ipſe in hoc vel illo loco alterius non me-
minit. Sed & aliis iuridicis fundamentis, eandem
noſtram

noſtram ſententiam comprobabo. Et primo ea
17 aſtruitur. Præſuppoſito, † quod noſtra pragmatica Cordubenſ. non tradit modum acquirendæ nobilitatis, ſed eam probandi à maioribus in litigantem deriuatam atque deductam, vt patet in ſecunda parte noſtræ l. ibi, *Y por ella ordenamos y mandamos, que de aqui adelante cada y quando que qualquiera que ſe dixere hyoſdalgo litigare, &c.* Et ibi, *y prouare enteramente, &c.* Ecce in primis verbis illis, *que ſe dixere*, quomodo litigans fundat ſe in nobilitate maiorum, & in verbis poſtea ſequentibus, ibi, *y prouare enteramente, &c.* agit lex de forma probandi nobilitatem: nec aliud dici poteſt, nempe quod lex hæc tradat formam acquirendæ nobilitatis quam non tradit, ſed probandi eam: quia alias iam non eſſet nobilitas à natura profecta, & ſanguis maiorum ſuorum, ſed acquiſita ex accidenti, rectiuſque diceretur exemptio à tributis, quam nobilitas & hidalguia: At lex ipſa, & nos non agimus de hac exemptione datiua, hoc eſt, acquiſita per præſcriptionem, vel alias ex accidenti, ſed de nobilitate ac claritate ſanguinis natiua, hoc eſt, quæ procedit à maioribus. Hoc ſic præſuppoſito, noſtra ſententia principalis præcedens ex eo probatur, quoniam lex, quæ tradit modum probandi expreſſum in litera, non excludit alios modos probandi ſimiles expreſ-
18 ſo. Nihil † enim vetat, vt quid fiat ex æquipollentibus, præſertim vbi forma tradita à lege eſt demonſtratiua, qualis eſt probatoria, vt tenet Bald. *in leg. 2. circa fin. ff. de liber. & poſthum.* vbi inquit hoc modo cognoſci, an adiectiones ſint demonſtrationes vel formæ, nempe, quia vbi deficit ius & probatio, ibi ſunt formæ: ſed vbi non deficit ius, ſed probatio, ibi eſt mera demonſtratio, & quod non demonſtratur vno modo, poteſt demonſtrari alio, vt *in leg. certum, ff. ſi certum petat.* Secus in formis, quia formam legalem nullatenus demonſtrare poſſumus, vt *in l. conſtitutiones, ff. ad municip.* ſequitur Ioannes Garçia *dict. gloſſ. 7. num.* 35. & ante eum Otalor. *de nobilitate 3. part. cap. 8. num.* 7. facit doctrina Bartol. *in l. Gallus, §. & quid ſi tantum, num. 2. verſ. Petrus, & num. 3.* ibi, *aut caſus omiſſus eſt ſimilis expreſſo,*
19 *ff. de lib. & poſthum.* vbi † tenet ſufficere, quod ex æquipollentibus aliquid fiat, quando ſumus in conditione neceſſaria ex parte actus vel ex parte effectus: ſecus in conditione voluntaria. Quæ doctrina eſt communiter approbata per DD. ibi, præcipue ſecundum Iaſon. ibi, *num.* 18. 38. & 42. eamque ſequitur Decian. *conſil.* 11. *num.* 19. Sed probatio expreſſa in noſtra leg. eſt neceſſaria, vt conſtat ex ea: Ergo per æquipollens fieri poteſt.
20 Requiſita † enim ad probationem tantum, ſi omittantur, non vitiant diſpoſitionem, ſi aliter de re illa conſtare poſſit, vt ex communi opinione reſoluunt Alexand. & Iaſon *in dict. leg. 1. ff. de lib. & poſthum.* & Matienc. *in l. 1. titul. 4. lib. 5. Nouæ Collect. Regiæ, gloſſ. 4. num. 11. & 19.* vbi refert Menchacam *lib. 3. de ſucceſ. §. 30. n. 5.* Cum ergo nobilitas Hiſpana rectius probetur *por ſolar conocido*: ſitque hoc ius plenum & perfectius cæteris, vt *in quæſtione præcedenti reſoluimus*: conſequitur, vt probata hoc modo, non vero reliquis contentis in noſtra leg. non vitietur, ſed imo ſufficiens ſit modus probandi eam *por ſolar conocido*, cæteris modis deficientibus.

21 Secundo † facit, quia quantumcunque lex loquatur per verba taxatiua, nunquam excludit æquipollentem modum probandi, nec caſus deciſos per alias leges in corpore iuris clauſas, *text. in clement. exiui de paradiſo, verſic. cum autem, de verb. ſignif.* vbi quod natura termini reſtrictiui hoc † habet, vt ſic excludat ab ipſo extranea, vt 22
cuncta ad ipſum pertinentia concludat, *text. iuncta gloſſ. 1. in l. ob æs alienum tantum, Cod. de prædict. & aliis rebus min.* vbi gloſſa exponit, vel ſimilem cauſam: quam ſequitur Bartol. *in authent. res quæ, num. 9. in fin. Cod. commun. de legat.* & ibi Anton. de Padilla, *num.* 81. dicit communem Antonius Gomez, *1. tom. var. cap. 11. num.* 12. Et de natura dictionis taxatiuæ, quando excludat caſus ſimiles, & quando non agit Bartol. *in l. ſi conſtante, in princip. num. 44. ff. ſolut. matrim.* & ibi latiſſimè Iaſon *num. 84. cum ſeqq.* idem Iaſon *in leg. ſi mora, num. 5. eodem titul.* vbi reſoluunt quod taxatiua
† non excludit caſum ſimilem, quando caſus ſi- 23
milis inducitur per aliam legem, vel quando venit ex conſuetudine, & eſt gloſ. & Bart. *in l. ſerui, ff. de vſufruct.* vbi voluerunt, quod ſi vnum ius ponit regulam, & excipit aliquem caſum cum dictione taxatiua, nihilominus excipiuntur alij caſus, qui reperiuntur excepti in alia parte iuris: refert & ſequitur Abbas *in cap. inter alia, num. 15. de immunitat. Eccleſ.* vbi pro eo adducit text. iuncta gloſ. *in c. quoniam frequenter, in primo reſponſ. vt lite non conteſt.*

Et † quod lex taxatiua in materia probationum 24
nunquam videatur excludere probationem æquipollentem, DD. *in l. 1. Cod. quorum bonor. per text.* vbi Bart. *in l. Gallus, §. & quid ſi tantum, ff. de liber. & poſthum.* Quod procedit etiam in ſtatutis: quia licet ſtricte interpretantur, adhuc admittitur in illis probatio per æquipollens, vt probat Caſſan. *conſ. 212. lib. 1. colum. 6. verſ. vnde ſufficit.* Sed in propoſito probatio nobilitatis *por ſolar conocido*, inducitur per aliam legem, nempe nonam ſtatim ſequentem. Præterea & ex conſuetudine & praxi ſolet admitti, *vt infra dicemus*: Ergo non cenſetur
excluſus caſus hic per noſtram legem. Denique 25
notorietas (qualis eſt probatio nobilitatis *por ſolar conocido*) nunquam videtur excluſa per legem præciſam & ſtrictam, generaliter & vniuerſaliter loquentem, argumento *cap. ad noſtram*, el *tert. de iureiurand.* vbi iuramentum de obſeruando ordine iudiciario in omni cauſa, non extenditur ad omnia manifeſta crimina, quæ ſecundum traditiones Canonicas accuſatione non indigent, neque in eis eſt ordo iudiciarius obſeruandus, ſed prædictum iuramentum eſt intelligendum in illis cauſis, in quibus eſt ordo iudiciarius obſeruandus; ſecus in cæteris: per quem textum ita notat Beroius *in cap. 1. num. 4. de reſcript.* Ergo ita & eodem modo per noſtram legem, quantumvis ita ſtrictam non excluditur probatio manifeſta atque notoria nobilitatis, *por ſolar conocido*, à legibus Regiis prioribus agnita & admiſſa, de quibus in *l. 9. infr. eod.* Sed intelligenda eſt eadem noſtra lex de nobilitate non ita manifeſta & notoria, provt eſt illa de qua agimus, nempe *de ſolar conocido.*

Tertio, † quia materia probationis non eſt re- 26
ſtringenda, ſed amplianda, *l. quoniam, C. de hæret. c. quanquam, 14. quæſt. 2.* cum ſimilibus Maſcard. *de probat. 3. tom. concluſ. 1177. num. 1.* Eſt enim fauorabilis probationum materia, *authentica Gazaros, in fin. Codic. de hæret.* Maſcard. *1. tom. de probat. concluſion. 452. num. 6.* Vnde verba noſtræ *l.* (*pechos Reales y concejales*) intelligenda ſunt loco exempli poſita, vt exempla frequentiora in materia probationis nobilitatis: exempla autem non arctant

arctant regulam, *l. 1. §. quod vulgo, ff. de vi & vi armat. l. damni infecti ſtipulatio, 30. in ordine in fin. ff. de damn. infect. cap. illo vos, de pignor & in cap. ad noſtram, de emption & vendit.* Anton. Natta loquens in materia probationis, *conſ. 198. n. 19. volum. 1.* quem refert & ſequitur Ioan. Garçia *dict. gloſſ. 7. num.* 36. dicens ita intelligenda eſſe verba illa loco exempli poſita, vt tradat modum probationis, ſed non excludat æquipollentem, in quo adſit diſtinctio nobilis à plebeio, quæcunque ea ſit: adducitque Barbat. *in cap. ſicut conſuetudo, in princ. de probation.* dicentem: Quod ſi lex dicat, quod probatio fiat certo modo, ille modus ponitur gratia exempli, & non excludit alios modos pro-
27 bationis, nec † poteſt excludi per legem ſufficiens modus probationis: nec ſtatui, quod probatio ſufficiens non valeat, iuxta gloſſ. & alios DD. *quos ibi citat.*

28 Quarto, quia † etſi forma ſubſtantialis ſit, quæ dat eſſe rei *l. Iulianus, §. final. ff. ad exhib.* & ab ea non ſit recedendum, nihilque ei addi vel adimi poſſit, vt *in cap. Piſanis, de reſtitutione ſpoliatorum, & diximus late ſupra in fundamentis contrariæ partis.*
29 Attamen forma noſtræ legis de † qua agimus, non eſt ſubſtantialis ſed demonſtratiua, quia accedit nobilitati perfectæ, non vero vt nobilitas acquiratur: quia ſecundum Barbaros forma accedit nobilitati à parte poſt, non vero à parte ante, vt patet ex noſtra l. in verbis ſupra relatis, ibi, *Que cada y quando que alguno ſe dixere hijodalgo*: Ecce verba quæ pertinent ad rem perfectam: & ſubdit text. *y prouare enteramente*: ecce quod forma probationis accedit rei perfectæ, ideo non eſt forma ſubſtantialis, ſed demonſtratiua, cui addi poteſt. Igitur quilibet modus & actus diſtinguens nobilem à plebeio, probat nobilitatem, vt inquit Ioannes Garçia *dict. gloſſ. 7. num.* 38. Sed nullus actus magis diſtinguit, *que el ſolar conocido*: Igitur habemus intentum. Hæc ſunt, quæ adducit Ioannes Garçia *vbi ſupra* (aliquantulum dilata per nos hic, vt hanc partem probent) ſic firmiter intelligens noſtram legem tametſi ibi non agat in ſpecie *de la prouança de ſolar conocido*: attamen ex præcedentibus ſuis rationibus & intellectu ad noſtram legem Regiam aſſignato idem fateri debet neceſſario, quia fortiſſima ſunt & concludentia: ſed & alia fundamenta addere libuit, quibus res apertior, imo apertiſſima fiat.

30 Quinto, hæc † noſtra ſententia probatur expreſſe in l. 9. infra ſtatim ſequenti, quæ eſt Regis Henrici III. in ſua principali deciſione, ibi: *Porende mando, y es mi merced y voluntad, que aquellos que fueren notorios hijoſdalgo de ſolar conocido, o ouieren auido ſentencia, de como ſon dados por hijoſdalgo, ſegun el tenor de la ley que hizo el Rey don Iuan mi ſeñor y padre y deſpues de la tal ſentencia eſtuuieren y eſtan en poſſeſſion de la hidalguia, que a eſtos tales les ſea guardada ſu franqueza e hidalguia, &c.* Et poſtea ſubdit, *Y mandamos que todos los otros pechen y paguen, no embargante, que traygan pleytos pendientes, &c. haſta que ſean dados por hijoſdalgo, por ſentencia en mi corte, ſegun el tenor de la dicha ley*: Ecce igitur earum legis expreſſum, vbi æquiparantur *el hijodalgo notorio de ſolar conocido, y el que tiene ſentencia*, hoc eſt, *executoria de ſu hidalguia con poſſeſſion iuntamente della*: & vterque lite pendente, *no ha de pechar.* Cæteri vero omnes ad id tenentur, non obſtante, quod dicant ſe eſſe in poſſeſſione nobilitatis, quovſque pro talibus declarentur, ſententia ſuper eo lata: Ergo *ſi el hijodalgo notorio de ſolar conocido*, habet hoc amplius, quam cæteri nobiles litigantes ſuper ſua nobilitate, præter eum, qui habet ſententiam *de ſu hidalguia*, & exſiſtit in poſſeſſione eius: hic enim & ille, ſi impetantur, lite pendente contribuere non tenentur cum plebeis, vt ibi ſancitur: & latius reſoluimus cum eodem Ioan. Garç. ſupra: Conſequitur manifeſtiſſime nobilitatem notoriam poſſe probari *por ſolar conocido*: *porque de otra ſuerte no la admitiera la dicha ley 9. ni la priuilegiara mas que a las noblezas, que ſe prueuan de otra ſuerte. Y pues nueſtra ley de Cordoua no excluye la prouança de nobleza por carta executoria, aunque no haze mencion della: tampoco es iuſto excluyer la de ſolar conocido.* Præmaxime cum hæc nobilitas *de ſolar conocido* melior ac perfectior ſit cæteris, rectiuſque probetur *por ſolar conocido.* Quod veriſſimum præterea ex eo efficitur: quia ſi aliud diceremus, ſequeretur inde, quod neque etiam per ſententiam, hoc eſt, *por executoria con poſſeſſion*, probari poſſet nobilitas: hoc autem eſſet abſurdum, vtpote contra præd. l. 9. ibi, *O ouieren auido ſentencia*, &c. Igitur ſicut hoc modo probari poteſt nobilitas, licet non ſit de expreſſis in noſtra lege Regia *de Cordoua* hoc namque nemo negabit; Ita & eodem modo probari nobilitas iure optimo poterit *por ſolar conocido*, abſque alia poſſeſſione, quandoquidem hæc duo æquiparantur & admittuntur per dictam l. 9. Nemo igitur deinceps audeat dicere, legem noſtram ſuſtuliſſe modum probandi nobilitatem *por ſolar conocido*: quandoquidem non tollit alterum modum eam probandi per ſententiam ſuper ea latam, ſimul cum exſiſtentia poſſeſſionis, de quo *in dict. leg. 9.* quæ eſt expreſſa
ad hoc: & vbi eſt caſus † legis non eſt amplius 31
de eo dubitandum iuxta gloſſam *in leg. ancillæ, verb. quæſtio, Codic. de furtis*, quam ſequitur alios allegans Beccius *conſil. 93. num. 9. ad finem.* Et prius *conſil. decim. quart. num.* 28. & Petrus Surd. *conſ. 53. num.* 6. vbi quod idem eſt in caſu ſtatuti ſeu decreti, & inſtrumenti publici, vel conuentionis, *diximus in quæſtione præcedenti.* Quinimo alius † 32
tertius caſus æquiparatur prædictis duobus, *in dict. l. 9. in verſ. Pero ſi en la ciudad, &c.* nempe probata trium perſonarum poſſeſſione non contribuendi, vt is quoque lite pendente non contribuat, ſicut nec illi, vt patet expreſſe ex *dict. leg. 9.* Et ex ea ita deducit Menchac. *lib. 2. controuerſ. illuſtr. cap. 87. num.* 23. Ergo bene ſequitur & à fortiori, vt ſicut admittenda eſt probatio nobilitatis per poſſeſſionem trium perſonarum, non ſoluendi tributa, vt *in illa leg. & in noſtra leg. octau.* & & etiam per ſententiam, ita quoque *por ſolar conocido*, quandoquidem prædict. tres caſus ſunt æquiparati *per dict. l. 9.*

Nec dicatur, quod † cum noſtra l. 8. Cordu- 33
benſ. ſit poſterior, quia lata à Regibus noſtris Catholicis Ferdinando & Eliſabeth, anno 1492. à 30. *de Mayo*, corrigat *leg. 9. infra eodem*, quæ eſt prior, nempe lata à Rege Henrico III. ann. 1398. & poſtea anno 1403. Nam reſpondemus † primo, quod 34
leges nouæ ſunt interpretandæ ne ius commune lædant, in quantum fieri poteſt, etiamſi verba improprientur, ſecundum Ludouicum Gozad. *conſil. 43. num.* 2. Ideoque † lex generalis non in- 35
ducit correctionem iuris per tacitos intellectus, etiamſi nihil operetur. Idem Gozad. *conſilio 89. colum. 2.* Crauet. *conſ. 259. num.* 2. Secundo † reſ- 36
pondemus, quod cum lex 9. prædict. ſit poſita in Noua Collectione legum huius regni, eſt proinde obſeruan

obſeruanda, iuxta pragmaticam ſanctionem poſitam in initio huius primæ partis Nouæ Collect. Reg. ibi: *Y mandamos que ſe guarden, cumplan, y executen las leyes que va en eſte libro, y ſe iuzguen y determinen por ella todos los pleytos y negocios que en eſtos nueſtros Reynos occurrieren*, &c. Et cum in dubio euitanda ſit legum correctio, vt *in legibus vulgaribus*, eo vel maxime inducenda ipſa non eſt, quod quamuis dict. l. 9. antiquior ſit, poſita tamen ſtatim poſt noſtram leg. 8. Pro declaratione ipſius, & ſic ab ordine literæ colligitur etiam obligatio obſeruantiæ ipſius leg. 9. Aut enim hic inſeri non debebat, hoc eſt in Noua Collectione Regia, quod negamus, aut inſerta omnino obſeruanda erit, non enim eſt credendum, quod ſi fuiſſet abrogata, hic inſereretur, cum in hac compilatione præcipuus ſcopus fuerit de antiquatis
37 legibus ſupprimendis. Cum † enim de antiquarum legum abrogatione intenditur, illud ſolet ſignificari verbis expreſſis aut honorifica aliqua præfatione, vt docet Alciat. *lib. 3. parerg. iur. cap.* 17. Ludouic. Carond. *lib.* 2. *veroſimil. cap.* 16. Quod enim non mutatur, quare ſtare eſt prohibendum? *l. præcipimus, Cod. de appellation. l. ſancimus, Cod.*
